

vel superior peccat agendo contra exigentiam boni publici: abrogare autem leges sine justa et gravi causa est contra exigentiam boni publici; argum. cit. *Juribus* sub. n. 14, adeoque, etc.

(17. Lex cessare potest per veram interpretationem, et epicheiam. *Communis*. (18. Interpretatio autem nihil aliud est, quam congrua per aliud clarius explicatio verborum legis ordinata ad concipiendum verum legis sensum a legislatore intentum. Est in re communis. (19. Interpretatio juxta *Gloss.* in l. 37, ff. *De legibus* est triplex, scilicet authentica, usualis et doctrinalis. Interpretatio *authentica* seu necessaria, cui nempe necessario est acquiescendum, est illa quæ fit a legislatore, seu ejus successore per aliam legem prioris declarativam, et obtinet eandem auctoritatem, ac ipsa lex, quam declarat; et de hac interpretatione intelligendum est id, quod habetur l. xi *Cod. De legibus*, juncto summario, ibi: «Ejus est legem interpretari, cujus est condere;» et cap. *Inter alia* 31, *De sent. excomm.*, ibi: «Ut unde jus prodiit, interpretatio quoque procedat.» Interpretatio *usualis* est quæ per usum et consuetudinem introducit; nam consuetudo, ut dicitur cap. *Cum dilectus* 8, *De consuetudine*, est prima legum interpres; sed de hac infra. Interpretatio *doctrinalis*, seu scholastica, vel magistralis est quæ a doctoribus, seu magistris dari solet; l. unic. *Cod. de prof. urbis Constant.*, l. xxii, et hæc per se loquendo non inducit obligationem, sed duntaxat probabilitatem; unde huic interpretationi non est necessario inhærendum, nisi fiat a communi doctorum consensu, ac alia meliora, et solidiora juris fundamenta non suppetant.

(20. Interpretatio doctrinalis, seu magistralis subdividitur in declarativam, extensivam, et restrictivam. Interpretatio *declarativa* est congrua dubiorum, vel obscurorum verborum expositio. Interpretatio *extensiva* est ea per quam fit ampliatio legis ad non expressa, et hæc, vel est *mere extensiva* per quam dispositio legis, ob paritatem, vel similitudinem rationis, extenditur ad personam, vel casum, neque verbis, neque mente legislatoris comprehensum: vel est etiam *comprehensiva* per quam lex extenditur ad personam, vel casum, neque verbis, neque mente legislatoris comprehensum, tamen expressum, mente tamen legislatoris comprehensum ob adæquatam rationis identitatem. Interpretatio *restrictiva* est ea per quam verba legis aut statuti, suadente sic æquitate, in sua generali significatione coarctantur et restringuntur.

(21. Authentica legis interpretatio fieri potest a legislatore, ejusque successore, vel utriusque in jurisdictione superiore. *Communis*, arg. l. xi *Cod. de legibus*, ubi summarium inquit: «Ejus est legem interpretari, cujus est condere,» etc. *Inter alia* 31, *De sentent. excomm.*, ibi: «Ut inde jus prodiit, interpretatio quoque procedat.» (22. Non potest tamen authentica legis interpretatio fieri ab inferiore, nisi ad hoc ipsum a superiore habeat potestatem. *Communis* arg. cap.

Inferior 4, dist. 31, cap. *Cum inferior* 16, *De majoritat. et obed.*, et *Clement. Ne Romani, De elect.*

(23. Usualis legis interpretatio fieri potest ab ipso usu communi, et consuetudine legitime introducta. *Communis* per textum in l. *Si de interpretatione* 37, ff. *De legibus*, ibi: «Si de interpretatione legis quærat, in primis inspiciendum est quo jure civitas retro in hujusmodi casibus usa fuisset; optima enim est legum interpres consuetudo:» et cap. *Cum dilectus* 8, *De consuetudine*, ibi: «Contra consuetudinem approbatam quæ est optima legum interpres.»

(24. Doctrinalis legis interpretatio fieri potest etiam a privatis doctoribus, seu magistris, si observent regulas communiter præscribi solitas. Cum enim lex sæpe quid obscurem et ambiguum in sua significatione contineat, necesse erat, ut doctoribus, seu magistris tribueretur facultas eam interpretandi, et per quid clarius explicandi. *Communis* per textum in l. un. *De professoribus urbis Constantinop.* l. xii, et in cap. *Cum de diversis* 2, *De privilegiis*, in 6.

(25. Pro interpretatione doctrinali, seu magistrali observandæ sunt sequentes regulæ. Prima regula: «Verba clara non admittunt interpretationem, neque voluntatis conjecturam.» *Communis*, cum *Glossa* in c. *Cum dilectus* 8, *De consuetudine*, verb. *Nec juri communi*, ubi sic præcise dicit: «Ubi verba non sunt ambigua, non est locus interpretationi; sed ubi sunt dubia, necessaria est interpretatio» et colligitur ex l. *Licet imperator* ff. *De legatis* 1, et l. *Ille, aut illa*, ff. *De legatis* 3.

(26. Secunda regula: «Verba legis sunt intelligenda secundum propriam significationem, nisi aliud constet sensisse legislatorem.» *Communis* per textum in c. *Ad audiendam* 12, *De decimis*, et in l. *Non aliter*, 69, ff. *De legatis* 3, ibi: «Non aliter a significatione verborum recedi oportet, quam cum manifestum est, aliud sensisse testatorem.» Et l. 1, § *Licet*, ff. *De exercitoria actione*, ibi: «In re dubia melius est verbis edicti servire.»

(27. Tertia regula: «Si de mente legislatoris constat, interpretatio est facienda potius secundum ipsam, quam secundum legis verba, quidquid aliud ipsa verba sonare videantur.» *Communis*, per textum in cap. *Humana aures* 11, caus. 22, quæst. v, ibi: «Non debet aliquis verba considerare (intellige nude et simpliciter), sed voluntatem et intentionem: quia non debet intentio verbis deservire, sed verba intentioni.» Hinc l. *Scire* 16, ff. *De legibus*, dicitur: «Scire leges non est earum verba tenere, sed vim et potestatem.» et c. *Certum est*, 88, *De reg. juris* in 6, ubi expresse dicitur: «Certum est quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.» (28. Mens autem legis, sive legislatoris desumi debet tum ex materia legis, tum ex circumstantiis temporum, locorum et personarum, præcipue ex ratione in lege posita; cap. *Intelligentia* 6,

De verbor. significat., ibi: «Intelligentia dictionum ex causis est assumenda dicendi, quia non sermoni res, sed rei est sermo subjectus.»

(29. Quarta regula: «Lex generaliter et indistincte est intelligenda;» *Communis* per textum in cap. *Quia circa* 22, *De privileg.*, ubi additur hæc ratio: «Cum nihil exceperit et poterat exceperisse.» Unde commune juristarum axioma, juxta summarium in l. *De pretio*, ff. *De Publicana in rem actione*, sic expresse habet: «Ubi lex non distinguit neque nos distinguere debemus.»

(30. Quinta regula: «Exceptio firmat regulam in contrarium in casibus non exceptis;» *Communis* per textum in l. *Quæsitum* § *idem*, ff. *De instruct.*, etc., ibi: «Nam qui hæc excepit, non potest non videri de cæteris rebus, quæ in ea essent sensisse,» et concordat l. *Cum prætor* 12, ff. *De judiciis*, c. *Qualis hinc*, dist. 25, cap. *Dominus* 32, quæst. 7, cap. *Nonne*, *De præsumpt.*; et cap. 2, *De conjug. leprosor.*, cum similibus, et tenet expresse Fagnan. in cap. *illa, ne sede vacante*, num. 31, Barbosa, axiomat. 85, num. 4; *Glossa* communiter recepta, l. *In iis quæ*, ff. *De legibus*, ubi ait: «Exceptio a regula firmat regulam in aliis.»

(31. Sexta regula: «Ubi eadem est ratio, eadem est juris dispositio;» *Communis*, per textum in leg. *ideo*, ff. *De legibus*, ibi: «Semper quasi hoc legibus inesse credi oportet, ut ad eas quoque personas, et ad eas res pertineant, quæ quandoque similes erunt.» et l. *Non possunt*, ff. *eodem*, ibi: «Non possunt omnes articuli singillatim, aut legibus, aut senatusconsultis comprehendere, sed cum in aliqua causa sententia eorum manifesta est, is qui jurisdictioni præest, ad similia procedere, atque ita jus dicere debet.» Et c. *inter corporalia* 2, *De translation. episcop.*, ibi: «Cum de similibus idem iudicium sit habendum.»

(32. Septima regula: «In omnibus causis prior debet esse ratio æquitatis, quam stricti juris;» *Communis*, per textum in leg. *Placuit*, *cod. De judiciis*, ibi: «Placuit in omnibus rebus præcipuam esse justitiæ, æquitatisque scriptæ, quam stricti juris rationem;» et leg. *In omnibus* ff. *De reg. juris*, ibi: «In omnibus quidem maxime tamen in jure æquitas spectanda est.» Et l. *Quod si Ephesi*, § *Interdum*, ff. *De eo quod certo loco*, ibi: «In summa æquitatem ante oculos habere debet iudex;» et c. *Ex parte* 13, *De offic. delegati*, ibi: «Et in causa juxta juris æquitatem procedere.» (33. Ubi autem deficit æquitas scripta, et in jure circa aliquam causam nihil habetur expressum, tunc servanda est æquitas non scripta, et iudex procedere debet prout æquum et justum esse censuerit; cap. *Ex parte tua* 21, *De transactionibus*, ibi: «In his vero super quibus jus non invenietur expressum, procedas (æquitatem servata) semper in humaniorem partem declinando, secundum quod personas, et causas, loca et tempora videris postulare.»

(34. Æquitas vero est justitia fulgore misericordiae temperata, ut eam definit S. Cy-

prianus relatus ab Abbate in cit. cap. *Ex parte tua* 11, *De transactionibus*, n. 7. Vel æquitas est quædam factorum convenientia, et rectitudo iudicii naturalem sequens rationem, ut eam definit Baldus in leg. *Omnes populi*, n. 19, ff. *De justitia et jure*: Barb. axiomat. 15, n. 5.

(35. Octava regula: «Argumentum a sensu contrario est satis validum;» *Communis*, per textum in leg. 1, ff. *De officio ejus, cui mandata est jurisdictio*, ibi: «Hujus rei fortissimum argumentum est quod lege Julia de vi, nominatim cavetur, etc.» *Non aliter igitur mandare poterit*; et cap. *Qualis hinc*, dist. 25, ibi: «Quod enim de uno negatur, consequens intellectus patet, quia de quibusdam conceditur.» Unde *Glossa* in cap. *Cum apostolica verb. Datur intelligi, de his quæ sunt a prælatis*, expresse dicit, quod «a contrario sensu datur fortissimum argumentum.» Dummodo tamen ex tali argumento a sensu contrario nullum sequatur absurdum, aut inconueniens, sed jurium correctio; quia argumentum a sensu contrario non valet, quando ei alia jura resistunt, ut expresse dicit *Glossa* communiter recepta in cap. *Significasti*, verb. *Clerici, De foro competent.*, ibi: «Argumentum a sensu contrario non habet locum, cum alia jura contradicunt.»

(36. Nona regula: «Non censetur plus de priori lege mutatum, quam est expressum in posteriori;» *Communis* per textum in leg. *Præcipimus*, *cod. De appellat.* ibi: «Quidquid autem hac lege specialiter non videtur expressum, id veterum legum, constitutionumque regulis omnes relictum intelligant;» et leg. *Si vero*, § *De viro*, ff. *Solutio matrimon.*, ubi summarium sic habet: «Provisio legis contra jus commune non extenditur ultra illud quod exprimit, licet eadem sit ratio.» Accedit ratio, quia correctio legum, utpote odiosa, non facile est præsumenda; jura enim iuribus, quantum fieri potest, sunt concordanda, neque eorum correctio est inducenda sine necessitate, textu expresso in cap. *Cum expediat* 29, *De election.* in 6, ibi: «Cum expediat concordare jura iuribus, et eorum correctiones, si sustineri valeant, evitari;» et concordat textus in leg. unic. *De inofficis. dotibus*, ibi: «Leges legibus concordare promptum est,» cum similibus; unde in leg. *Non est novum* 25, et sequent. ff. *De legibus*, generaliter sancitur, ad evitandas legum correctiones, leges priores esse habendas, et explicandas per posteriores; et e contra has per priores, ibi: «Non est novum, ut priores leges ad posteriores trahantur, etc., sed et posteriores leges ad priores pertinent, nisi contrariæ sint.»

(37. Decima regula: «Lex pœnalis, et omnis alia odiosa, in dubio, est stricte interpretanda, nec regulariter extendenda ultra casum, et personas expressas;» *Communis* per textum in l. xxxvii, ff. *De pœnis*, ibi: «Interpretatione legum pœnæ molliendæ sunt potius, quam exasperandæ:» et c. *Odia* 14, *De reg. juris*, in 6, ibi: «Odia restringi et favores convenit ampliari:» et c.

In pœnis 49, in 6, ibi : In pœnis benignior est interpretatio faciendâ; » dicitur autem notanter in dubio; quia si ipsa verba legis pœnalis, aut alterius odiosæ, ejusque mens adeo clara sint, ut, salva ratione recti sermonis, non possint aliam interpretationem habere, non obstante quod lex appareat nimis dura et odiosa, adhuc erit observanda, leg. *Prospexit*, ff. *Qui, et a quibus manumissi*, ibi : « Quod quidem perquam durum est; sed ita lex scripta est. »

(38. Undecima regula : « Leges favorabiles ampliori interpretatione sunt intelligendæ: seu in materia favorabili verba legis accipi debent secundum amplam suam significationem. » *Communis* per textum in cit. cap. *Odia 15, De regul. juris*, in 6, ibi : *Favores convenit ampliari*. Dummodo tamen nihil aliud exprimat, vel appareat ex verbis legis, seu alterius dispositionis, nec exinde illusio legis sequi possit; prout notatur in c. *Si sententia 16*, et cap. *Si civitas 17, De sent. excomm.*, in 6.

(39. Duodecima regula : « In beneficiis plenissima est interpretatio faciendâ; » *Communis*, textu expresso in c. *Cum Dilecti 6, De donationibus*, ibi : « In contractibus plena; in testamentis plenior; in beneficiis plenissima est interpretatio faciendâ, » et cap. *Olim 16, De verbor. significat.*, ibi : « Cum beneficia principum sint interpretanda largissime. » (40. Excipienda tamen sunt rescripta ad beneficia ecclesiastica obtinenda, quæ sunt strictæ ecclesiastica obtinenda, quæ sunt strictæ ecclesiastica obtinenda, textu expresso in cap. *Quamvis 4, De præbendis*, in 6 ibi : « Quamvis plenissima sit alias in beneficiis interpretatio faciendâ; litteræ tamen super obtinendis beneficiis debent, cum sint ambitiosæ, restringi. »

(41. Epicheia est benigna legum interpretatio secundum æquum et bonum, declarans casum aliquem particularem, ex mente legislatoris ob suas circumstantias speciales, sub lege universaliter lata non esse comprehensum. Est in re communis; arg. l. *Placuit*, cod. *De judiciis*, ibi : « Placuit in omnibus rebus, præcipuam esse justitiæ, æquitatisque scriptæ, quam stricti juris rationem : » et l. *In omnibus*, ff. *De reg. juris*, ibi : « In omnibus quidem, maxime tamen in jure, æquitas spectanda est, » cum aliis jur. adductis sup. n. 32 et 33.

(42. In hoc autem differt epicheia ab interpretatione legis, quod per interpretationem interpretantur verba legis, quando sunt obscura, et ambiguum sensum reddunt; per epicheiam vero interpretatur mens legislatoris, ubi constat de universali verborum sensu, dubitatur autem de mente legislatoris, utrum nempe is talem casum particularem, ob certas circumstantias, voluerit, vel potuerit comprehendere sub generali locutione legis; unde tunc speciatim verificatur textus cit. cap. *Intelligentia 5, De verbor. significat.*, ibi : « Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi, quia non sermoni res, sed rei est sermo subjectus : » et c. *In his 13*, eod. *De verbor. signif.*, ubi Pontifex factæ a se interpreta-

tionis allegat hanc rationem : « Considerantes nihilominus, quod non debet aliquis considerare verba, sed voluntatem; cum non intentio verbis, sed verba intentioni debeant deservire, interpretamur, etc. »

(43. Hinc quandoque esse locum epicheiæ in casu aliquo particulari ob certas circumstantias concurrentes tenet communis doctorum; arg., l. iv, ff. *De legibus*, ubi dicitur, quod « ex iis, quæ forte uno aliquo casu accidere possunt, jura non constituuntur : » Neque sic præjudicium inferitur potestati legislativæ, cum præsumatur legislator in simili casu eadem fuisse dicturus, ut colligitur ex l. *Nulla juris*, ff. *De legibus*, ubi habetur : « Nulla juris ratio, aut æquitatis benignitas patitur, ut quæ salubriter pro utilitate hominum introducuntur, ea nos duriori interpretatione contra ipsorum commodum producamus ad severitatem. »

(44. Lex cessare potest per dispensationem factam ab habente legitimam dispensandi potestatem. *Communis*. (45. Quo autem ad ea, quæ speciatim concernunt dispensationem, vid. verb. *Dispensatio* per tot.

(46. Lex cessare potest per privilegium concessum ab habente legitimam potestatem ipsum concedendi. *Communis*. Privilegium enim est, quod princeps contra communes regulas juris, seu contra communes leges cuiuspiam concedit, seu rescribit, juxta illud *Esther xxv* : *Non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est*. (47. Dicitur enim privilegium, quasi lex privata; nequæ esset privata, nisi aliquod speciale indulgeret; c. *Privilegia 3*, dist. 3, et c. *Abbate 25, De verbor. significat.*, § *Contra*.

(48. Quia igitur privilegium est contra jus commune, et omnis recessus a jure est odiosus, cap. *Is qui 1, De filiis presbyterorum*, § *Ille vero*, in 6, ibi : « Quam exorbitantem a jure oportet veluti odiosam restringi. » Hinc privilegium est stricte interpretandum, ac restringendum, dummodo ex hoc non reddatur inutile. *Communis* arg. cit. cap. *Is qui*, et cap. *Odia 15, De regulis juris* in 6, ibi : « *Odia restringi, et favores convenit ampliari, » cum simil.*

(49. Lex cessare potest per consuetudinem contrariam legitime introductam. *Communis*. (50. Circa autem ea, quæ speciatim quoad hoc concernunt consuetudinem. Vid. verb. *Consuetudo* per tot.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(51. Pertinet et ad jurisconsultos, judicesque leges interpretari. Tripliciter autem interpretari possunt jurisconsulti et judices leges. (52. Primo ad casus similes producendo legis dispositionem, considerata ratione ejus in aliis ad eandem utilitatem tendentibus militante, idque etiamsi taxativis verbis lex uteretur, quippe quia taxatio tantum ad casus dispares excludendos pertinet, non item ad eos, in quibus militat similis, aut eadem, aut major ratio. (53. Secundo restringendo generalia legum effata ad casus illos, in quibus solis manifesta, et adæquata ratio legis locum habet. (54. Ter-

tio denique explanando verba legis obscura, vel ambigua, et dubium ipsius legis sensum eruendo.

(55. Id autem ut recte fiat, servanda sunt quædam universalis præcepta. In primis, et ante omnia de mente legis non est judicandum, nisi tota lege perspecta, cum ex antecedentibus et subsequenibus ut plurimum evidens evadat sententia legis, leg. 24, ff. *De legib.*

(56. Deinde semper adhiberi debet ea interpretatio, quæ caret vitio, et aptior est rei gerendæ, et convenientior menti legislatoris, l. xix, eod. tit. l. lxxvii, et l. xcvi, ff. *De reg. jur.*, non calumniosa. (57. l. penult. ff. *Ad exhib.* (58. non talis, quæ circumveniat mentem legis, dum fieret, quod lex fieri noluit, fieri tamen expresse non veluit, l. xxix et xxx, ff. *De leg. l. v*, eod. eod. (59. Quæve redderet legem inutilem, nullis accommodata casibus, etsi omni effectu destitutam, arg., l. i, § ult. ff. *Ad municipal.* aut, quæ in favorem alicujus inventa, torqueret severius in ejusdem dispendium ac læsionem; l. xxv, ff. *De leg.*, et l. vi, eod. eod.

(60. Sed nec petenda est interpretatio ex iis, quæ constituta sunt jure singulari, aut necessitate quadam in certis solummodo casibus; l. xiv, ff. *De leg.*, et l. xvi, ff. *De reg. jur.*, aut errore sunt introducta leg. xxxix, ff. *De leg.*

(61. Recedendum nec aliter est a propria verborum significatione, quam cum manifestum est, id legislatorem voluisse, argum., l. lxxix, ff. *De leg.*, 3, magisque in dubio

LEX COMMISSORIA.

Vid. verb. *EMPTIO art. 4, a n. 40 ad 45, et verb. HYPOTHECA, n. 34 et 35.*

LIBELLUS FAMOSUS.

SUMMARIUM.

1. Libellus famosus quid sit? — 2. Libellus famosus fit scriptura, vel pictura, et quid veniat appellatione scripturæ, et picture. — 3. Ad constituendum libellum famosum quinque requisita copulative debent concurrere. — 4. Primo requiritur, quod occultetur nomen libellantis. — 5. Secundo requiritur, quod in illo exprimat nomen libellati, seu injuriati. — 6. Tertio requiritur, quod libellus famosus publicetur. — 7. Quarto requiritur, quod interveniat dolus. — 8. Quinto requiritur, quod libellus contineat non solum contumeliam, sed et simul delictum aliquod considerabile. — 9. Dicta requisita debent cumulative concurrere ad hoc, ut quis dicatur reus libelli famosi. — 10. Unde qui joco facit libellum famosum, non incidit in crimen, et pœnam libelli famosi. — 11. Et jocus præsumitur, quando deficit causa. — 12. Et quando faciens est juvenis letus, et facetus, et bonæ famæ. — 13. Item non incidit in pœnam libelli famosi, qui mittit epistolam alicui in injuriam, et infamiam alterius, cum expressione et mandato, quod illam teneat secreto. — 14. Vel etiam mittit ipsi injuriato, qui præsumitur eam secreto retenturus. — 15. Item non incidit in crimen, et pœnam libelli famosi, qui provocatus et accessit libello famoso, libellum in auctorem primi conficit et crimina in ipsum retorquet. — 16. Multi sancti Patres scriptis accessit cum mordacitate et eum aliis scriptis responderunt. — 17. Libellos fa-

verbis edicti servendum ait Ulpianus in l. i, § 20, ff. *De exercit. action.* Recedere autem voluisse legislatorem a propria significatione verborum, erui valet cum ex antecedentibus et subsequentibus verbis legis, præfatione, epilogo et similibus, tum ex ratione legis ipsi legi subjuncta, tum etiam ex eo quod verba in proprio significato accepta, involverent absurditatem, impossibilitatem, vitium, vel significationem non satis aptam rei gerendæ.

(62. Omittendum haud est etiam, ex argumentis desumptis a contrario sensu, legis sensum erui posse, et interpretationem fieri, ut servarunt ipsi jurisconsulti in l. i, ff. *De offic. ejus, cui mandat. jurisd.*, l. xviii, ff. *De testib.*, l. xx, § 6, ff. *Qui testam. facere poss.*, l. xxvi, ff. *De pact. dotal.*

(63. Quod si hisce, similibusque præceptis observatis, necdum manifesta reddi possit legis sententia, aut evitari absurditas, iniquitasque, quam videbatur involvere dispositio legis, haud poterit iudex, prætextu æquitatis, arrogare sibi licentiam spernendæ legis, tanquam duræ, et iniquæ, ac judicare contra perspicuam legis decisionem, cum iudicis sit secundum legem, nequaquam vero de legis justitia, vel injustitia judicare, et facti quidem quæstio, non item juris auctoritas, in ejus potestate sit: l. i, § 4, ff. *ad senatus consult. Turpilian.*, juncta l. xii, § 1, ff. *Qui et a quibus liberi non fiant*, solumque superest, ut eatur ad legislatorem; l. xi, ff. *De leg. l. ii*, § 18, cod. *de veter. jur. enucleand.* l. i, l. ix, l. penult. et ultim. cod. *De legib.*

mosos facientes, publicantes, consulentes, seu mandantes fieri, seu publicari, committunt crimen gravissimum, et detestabile. — 18. Insuper rei hujus detestabilis criminis subjacent gravissimis pœnis, tum de jure canonico. — 19. Tum de jure civili. — 20. Eadem pœna puniuntur mandantes, cooperantes, et consulentes fieri libellos famosos. — 21. Eadem pœna puniuntur inventientes libellum famosum, et illum non lacerantes, nec comburentes, sed aliis manifestantes. — 22. Eadem pœna puniuntur dictantes, scribentes et exemplantes libellum famosum. — 23. Eadem pœna puniuntur componentes carmina, cantiones et similia in detractionem famæ alicujus. — 24. Item eadem pœna puniuntur eas cantiones, seu carmina cantantes. — 25. Eadem pœna puniuntur facientes libellum famosum contra mortuum. — 26. Eadem et majori pœna puniuntur, qui libellum famosum faciunt, non sub nomine suo, sed sub nomine alterius. — 27. Eadem pœna puniuntur, qui faciunt cadere in terram libellum famosum, ad effectum ut publicetur. — 28. Eadem pœna puniri possunt bibliopola, et mercatores librorum ementes, retinentes et vendentes libellos famosos. — 29. Ex constitutionibus S. Pii V, et Gregorii XIII, appellatione libelli famosi continentur pariter, nedum, ut vulgo dicitur *li avvisi segreti*, sed etiam pasquilli, vulgo *pasquinati*. — 30. Si libellus famosus respiciat statum alicujus religionis in communi, ultra supradictas pœnas, auctor est ipso facto excommu-